

DE CONGRES. PLANET. CVM STELLIS VIII. PLA.  
 directus, uel si fuerit stellæ fixæ, & planeta retrogradus, tempus per diuisionem edu-  
 ctum subtrahatur à tempore æstimato, & quod post additionem coaceruatur aut  
 facta subtractione remanserit, erit tempus coniunctionis ueræ, quod quærebatur.

Verum motum Solis in uno die, hora aut pluribus & ho-  
 rarum fractionibus colligere.

Propositio XXVI.



hic negotio exarata est tabula specialis, quæ tabula ueri motus Solis  
 in horis & minutis appellatur, cuius extrema latera, horas & horarum  
 fractiones continent. In capite & pede 12. signa zodiaci, in numeris  
 & characteribus ad eorum principia & media ordinata cernes. Area  
 uero tabulæ Solis motus ueros in gradibus & minutis & secundis  
 comprehendit. Cum signo igitur Solis & eius gradu ad certum diem inuento in-  
 gredere tabulam iam dictam, signo & gradu, aut uicinior in capite uel pede tabulæ  
 repertis in uno latere extremo ad libitum accipe horas propositas, in quorum dire-  
 cto sub titulo signi & gradus, aut uicinioris in area, motum uerum Solis horarum  
 propositarum offendes. Idem de una hora sume iudicium. Quod si horas quæ diem  
 naturalem constituunt, receperis, motum Solis diurnum, id est, unius diei uerum &  
 æquatum cognosces. Simile ferè iudicium sumes de minutis horarum, uariata dun-  
 taxat titulorum, ut assolet denominatione, per unam differentiam. Huius tabulæ plu-  
 rimæ sunt utilitates. Per eam enim scimus motum diuersum æquatum Solis, quem  
 Buth Solis nominamus in uno die, horis & minutis. Per ipsam etiam facile cogno-  
 scamus uerum locum Solis ad tempus quodcunque, ante uel post meridianum, præha-  
 bito uero loco eiusdem ad meridem, & cognito motu unius diei dicto, citius conti-  
 nuamus uerum motum Solis de die in diem. Quantas etiam præbeat commodita-  
 tes hæc tabula ad humanas genituras, & earundem reuolutiones, ad aëris mutatio-  
 nes, & item ad eclipses practicandas, & ad res alias ferè innumeras in præsentia-  
 rum silentio præterimus.

Verum motum Lunæ in una hora uel pluribus, & horarum  
 fractionibus extrahere.

Propositio XXVII.



ERTior uia est, ut quæeratur uerus motus Lunæ ad principium alicuius  
 horæ optatæ, & item ad finem eiusdem, tunc differentia motuum, erit  
 uerus motus in una hora quæsitus. Qui pluribus horis, uia multiplicati-  
 onis facile accommodari potest. Facilius tamen sic. Cum argumento  
 Lunæ uero ad certum tempus extracto, Tabulam ueri motus Lunæ in  
 horis & minutis ingredi, quærendo signa & gradus, aut uiciniores ipsius argu-  
 menti in capite aut pede tabulæ, quibus repertis in latere dextro aut leuo ad placitum,  
 accipe horas oblatas, concursu enim linearum cõmuni horarum, & argumenti Lunæ  
 in corpore tabulæ, uerum motum Lunæ horis oblatas respondentem inuenies. Haud  
 dissimiliter de unius horæ motu agendum est. De minutis autem horarijs, simile  
 quasi sumendum est iudicium, solummodo titulorum denominationem (pro ut ope-  
 ratio